



**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum
theologiae scholasticae tomus ...**

Rhodes, Georges de

Lugduni, 1661

Sectio II. Quænam sint prædicata essentialia substantiæ Angelicæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)

uinarum processionum & actuum liberorum. Imò & contra durationem æternam Dei, quæ successiua est æquialenter.

Dico secundò, Angelos creatos non esse ab æterno, neque ante mundum corporeum, sed illo eodem temporis instanti quò cælum, & elementa creata sunt.

Tempus
produ-
ctionis.

Primò enim sic apertè habetur ex definitione Concilij Lateran. cap. firmiter, vbi dicitur Deum ab initio temporis vtramque condidisse creaturam spiritua-lem & corpoream, Angelicam scilicet, & mundanam, deinde verò humanam. Post quam Concilij apertam vocem, nullus est Catholicorum, quin hoc sentiat, tametsi pluribus antiquis Patribus visum sit Angelos aliquo tempore præcessisse mundum corporeum: sic enim sentiunt Basilus, Nazianz. Damasc. Theodoret. Chrysost. Cassian. & plures alij, qui sanè aliter sensissent, si audiuisent Ecclesiam loquentem. Imò vix apparet quomodo explicari aliter rectè possit, quod Gen. 1. dicitur: *In principio creauit Deus cælum & terram.* Si enim prius creati erant Angeli, certè cælum & terra creata non sunt à principio. Deinde satis probabiliter id colligitur ex eo quod tempus viæ Angelorum fuit breuissimum, cum ergo creati non fuerint diu ante mundum corporeum, certè multò videtur facilius dici posse, quod simul cum illo creati sunt.

Locus il-
lius.

Dico tertio, esse probabilius Angelos in cælo aliquo sydereo creatos esse, si fuit conditum ab initio cælum vbi posita sunt quarto die sydera tametsi non sit improbable quod creati sint in cælo empyreo.

Primò enim, certum est Luciferum in cælo fuisse, quemadmodum à cælo decidit, iuxta illud: *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, ergo in eo creatus fuerat, quia decebat, inquit S. Thom. Ut in loco nobilissimo nobilissima conderetur creatura.* Imò ex Coloss. 1. id colligitur: *In ipso* (inquit Apostolus) *condita sunt vniuersa, in cælo & in terris, siue Throni siue Dominationes.* Vtrum autem in cælo ipso empyreo facta creatio illa fuerit, an in cælo sydereo, id est vbi postea facta sydera dubiū est inter Doctores, communior sententia docet cum S. Th. illos in empyreo cælo esse conditos, quia cælum illud solum tunc erat; cum secunda die factum ex aquis sit firmamentum, & cæli omnes syderei: alij tamen cum Suare verius putant, quod creati sunt in alio cælo quam empyreo, quia dixit Lucifer: *Ascendam in cælum similis ero altissimo*; ergo ibi non erat: adde quod probabilius videtur sedem illam Dei, & ciuitatem sanctam nullo vnquam peccato violari debuisse. Neque vrget quod dicebatur cælos sydereos factos non esse nisi secunda mundi die, quia hoc multi valde probabiliter negant existimantes firmamentum illud factum secunda die aërem esse cuius secunda regio exceptura nubes, eà die firmata est, vt pluuiæ opportuna stillarent in terras, sed hæc omnia valde dubia sunt.

Creatio
Angeli dif-
fert ab eius
substantia.

Ad primam Resp. actionem quæ producti sunt Angeli, fuisse sine dubio veram creationem de qua nihil hoc loco habeo dicere cum de hac in physicis plenè disputatum sit; constat enim ex ibi dictis illam omnino distingui modaliter à termino qui per eam producitur; quia potest immutato manente termino actio mutari, si Deus velit Angelum vnum instrumentaliter creari, ab altero Angelo; est autem accidens illa creatio, quia etiam si non habeat subiectum vllum inhaesionis quod præsupponat, habet tamen subiectum adhaesionis nempe terminum cuius est productio, & in eo vt termino verè adhæret, in illo instanti naturæ, quo creatio est prior suo termino; prioritas enim naturæ prioritas est à quo, non prioritas in quo. Hæc propositio quod est essentialiter tale se ipso est tale; distingui debet: quod enim est essentialiter tale vt ratio formalis talis, sine dubio est se ipso tale; visio, verbi gratiā, se ipsa est visio, actio

se ipsa dependet, vniò se ipsa vnitur non per aliam vnionem. Quod autem est essentialiter tale tanquam habens essentialiter rationem aliquam formalem, non est se ipso tale, nam creatura qualibet est essentialiter habens dependentiam aliquam, sed ipsa non est essentialiter ipsa dependentia; separari enim potest ab Angelo hæc & hæc dependentia sumpta distributiue, sed omnis dependentia separari non potest; si enim existit, aliquam necessariò habet dependentiam: sed hanc vel illam. Ad hoc autem vt aliqua distinguantur sufficit vt separari possint determinatè ac distributiue, non requiritur vt collectiue possint separari.

Ad secundam Resp. constare omnino ex Scriptura, & Concilio quod quamuis Angeli creati potuissent ab æterno, creati tamen sunt in tempore tametsi aliàs cum communiori Theologorum sententia prorsus negauerim esse possibilem creationem vllam ab æterno rei vel permanentis, vel successiue, & quidem de successiua facilius id ostenditur, quia si motus daretur ab æterno, in illo necesse esset vt partes posteriores esset ab æterno; nulla enim esset prima inter partes posteriores, sed implicat vt partes posteriores sint ab æterno; quod enim supponit essentialiter aliquid prius non est ab æterno, sed partes posteriores etiam collectiue sumptæ supponunt essentialiter aliquid prius; si enim sunt posteriores supponunt aliquid prius, ergo implicat vt partes posteriores sint ab æterno; alia omitto quæ alibi attuli. Neque minus efficaciter idem ostenditur de rebus permanentibus quod non possint esse ab æterno; si enim implicat moueri Angelum ab æterno implicat etiam Angelus, quia implicante proprietate, implicat id cuius est proprietates, est autem proprietates caloris posse successiue calefacere. Imò entis permanentis duratio est successiua saltem virtualiter, ergo si res successiua æterna implicat certè implicat permanens. Deinde si faceret Deus rem ab æterno dedisset illi durationem quantam dare potest maximam, in nullo autem genere facere Deus potest quantum potest facere, alioqui posset diuidere continuum quantum potest diuidere. Denique ne plura congeram sancti Patres probant Verbum non esse creaturam, seu ens dependens, quia est æternum, quod argumentum esset nullum, si ens ali- quod dependens esse posset ab æterno. Quod autem respondent nonnulli non satisfacit, sanctos videlicet Patres probare Verbum non esse creaturam, quia est ab æterno independentem. Sed hinc sequitur quod Patres probant independentiam Verbi, ex æternitate independenti, quæ nugatoria esset probatio.

Creatio
Angeli
non fuit
æterna.

Fuit igitur Deus ab æterno potens creare in quolibet tempore non fuit potens creare ab æterno. Infinitum categorematicum implicat actu produci, diēs æternitatis, & partes continui prout obiectiue sunt actu in mente Dei, semper sunt infinitæ syncategorematicæ, quia Deus cognoscit illa omnia vt sunt in se ipsis possibilia, si omnia essent actu producta, vel diuisa, iam essent infinita categorematicæ: de æternitate à parte post, nego fieri posse argumenta quæ facta sunt de æternitate à parte ante, vt consideranti patebit.

Ad tertiam nego valere argumentum ab æternitate Dei qui est infinitus simpliciter ad creaturas quæ sunt entia finita.

SECTIO II.

Quanam sint predicata essentialia substantia Angelica, seu conceptus Angeli proprius.

Non est dubium quin Angelus sit substantia, completa, finita, homine perfectior, substantiam esse constat ex proprietatibus, & operationibus quarum est fundamentum: esse completam, quia non ordinatur

ad

ad alterius entis compositionem: finitam quia creatus est: homine perfectiorem, quia est simpliciter incorporeus. Quatuor autem inuenio prædicata substantiæ illius propria, quæ magnam habent difficultatem. Primum est spiritualitas. Secundum simplicitas. Tertium incorruptibilitas. Quartum indiuisibilitas, quod enim de intellectualitate ulterius quæri poterat, inferius explicari debet.

§. I.

Spiritualitas omnimoda substantie Angelica.

S. Thom. Art. 1.

Variae sen-
tentiæ.

Possēt Angelus dici vel omnino corporeus, nihil habens spirituale, vt cœli & elementa, vel altera sui parte spiritualis esse, altera corporeus vt homo. primo modo corporeum esse Angelum voluit veteres Philosophi apud Aristotelem primo physic. & sæpè alibi, & apud Plutarchum lib. de Iside n. 12. & ita omnino sensit Plato cui adhæserē Saducai; & apertus fuit error Tertulliani: Secundo modo corporeum esse Angelum plures ex Patribus censuerunt; difficultas ergo est, vtrum Angelus neutro illo modo sit corporeus, sed purè spiritualis nullius particeps materia; nullius quantitatis grauius mole.

Triplex
arbitratio.

Ratio verò dubitandi est primò, quia in septima Synodo Tarasius refert dispositionem Ioannis Episcopi Thessalonicens. quæ corporeos docet esse Angelos, & approbari videtur à Concilio. Deinde mirum omnino est quàm multi Patres sentiant tribuenda esse Angelis corpora saltè aërea ferè, ac ignea, ita enim inter Græcos sensere, Origines in libris *ἀπὸ ἀνθρῶπων*, Iustin. in Dialogo cum Triphone ubi vult Angelos etiam egere cibis, Clemens Alexand. S. Ephræm serm. de non scrutanda Dei natura, Cyrill. Basiliius, Cæsar. inter Latinos idem tradit passim àugust. licet cum aliquo dubio, cui etiam assentiuntur Bernard. Rupert. Claudian. Marmert. Fulgent. & ex recetioribus Caict. Egub. Niphus.

Secundo, dicitur in Scripturis quod Filij Dei nempe Angeli appetierunt filias hominum, quod fieri non potuit, si caruerunt corporibus: dicuntur etiam delectari nidoribus & fumo, quod arguit esse in illis organa sensuum.

Tertio, non videtur satis explicari posse, quid concipere debeat intellectus, quando definit rem spiritua-
lem: nam ille conceptus qui affertur vulgo solet non est
sufficiens cum dicitur illud esse spirituale, quod non
est quantitas, neque ordinē dicit ad quantitatem sine
qua non possit existere. Si enim Deus creet lucem ex-
tra omne subiectum illa creatio corporea est, & tamen
non dicit ordinem ad quantitatem, sine qua potest &
debet existere, implicat enim vt existat & sustentetur
à quantitate, ergo spirituale non est quod est expers
quantitatis.

Abertio.

Dico primò, certissimè tenendum esse Angelos esse substantias purè spirituales, omnis expertes concretio- nis corporeæ, ac quantitativæ. Ita docent Theologi omnes communiter aded vt contraria sententia erro- nea, & temeraria planè sit, quamvis nondum dici de- beat Hæretica.

Scriptura.

Primum enim, sic colligitur ex Scripturis ubi Angeli dici simpliciter solent Spiritus, *Omnes sunt administratores Spiritus propter eos*, &c. *Spiritus Domini rapuit Philippum*, debet autem his locis propriè sumi Spiritus non eo modo quo ventus solet Spiritus appellari, nisi velis Deum & animam, in eo etiam sensu Metaphorico dici Spiritum. Deinde plurimi etiam Patres proferri possunt, qui censent Angelos esse puros Spiritus dabunt eorum Catalogum Suar. lib. 1. c. 6. Valq. disp. 194. c. 1. & 2. Petau. lib. 1. c. 2. & 3. dicunt enim Angelos esse purè intelligibiles & intelligentes *νοητικὰ ἄνευ σώματος* Dionys. l. 1. Cælestis Hierarch. c. 1. & 2. Nyss. Nazian. Chrys. Athanas. Hilar. Hieron. Gregor.

Secundò, efficacius idem offenditur ex Concilio Lateranenſi iam adducto; verba enim illa que artuli expreſſiſſimè id definiūt, dicitur videl. quod Deus ab initio vtramque condidit creaturam, Angelicam ſcilicet & mundanam, deinde humanam quaſi communem ex Spiritu & corpore conſtitutam. Voluit igitur quod Angelus homini diſſimilis eſt in eo, quod totus ſit expers corporis, ſi enim media ſui parte corporeus eſſet, iam nihil haberet in quo diſſimilis eſſet homini. Tametsi autem obiter duntaxat attigiffe id videtur Concilium, cui propoſitum præſertim erat oſtendere Deum eſſe conditorem vniuerſi, & authorem omnium, certiffima tamen ex his verbis redditur Angelorum ſpiritualitas, cum dicat Concilium firmiter credimus, & conſitemur, tametsi ex profeſſo non illam definiat, unde concludunt Suar. Arrub. & alij graues Theologi, eſſe quidem rem illam certam Theologicè, ſed nullo tamen modo eſſe de fide, quia non eſt id quod definiunt Concilium eo loco.

Concilium
Lateranenſe.

Tertio, ratione quoque suaderi potest quia si Angelus non est purè spiritualis deest vniuerso genus illud entis quod est possibile maximèque facit ad eius perfectionè, & integritatem. Deinde à posteriori, quia legiones integræ Angelorum idem corpus penetrant, vel ergo necesse est illos carere corpore, vel corpora illorum esse atomis similia, quod est absurdissimum quia sic corpora illa essent ipsis inutilia; non enim habent organa, neque apta esse possent ad operationes, Denique mouendo cælos motu perniciosissimo, esset necesse illos fatigare, & exhauriri.

Rationes.

Ad 1. Resp. nihil contra doctrinam allatâ posse inferri ex sexta Synodo, quia recitat in ea Tarasius disputationem Ioannis illius Episcopi Theſſalonicensis cum Philoſopho, in qua dicebatur Angelos oportere pingi, quamvis circumſcripti ſint, & ſæpè hominibus humanâ ſpecie apparuerint. Synodus autem dixit etiam Domine, quia ibi Tarasius ex Ioannis oratione hoc vnum deſumit, quod pingi debeant Angeli, & hoc vnum etiam approbatur à Synodo, quia de hoc ſolo quærebatur Sancti Patres qui corpora videntur tribuere Angelis proſectò excuſari vix poſſunt qui ſi audiuiſſent Lateranenſis Concilij verba nunquam hoc dixiſſent, conantur tamen aliquo modo eos excuſare plures Theologi ſed parum probabiliter.

Solutio
primæ du-
bitationis.

Ad 2. Resp. Filios Dei illos qui appetuerunt filias hominum perperam dici à Tertulliano, & ab ali-
 quot aliis fuisse Angelos, hanc enim etiam Haresim
 esse docent Philastrius l.de Haresib. Aug.q.3.in Gen.
 Chryl.hom.22.etiam in Gen.Cyrril.Theodor.*Uocans*
eos stupidos, & stolidos qui hoc dicere ausi sunt. Et sanè
 conuincit ex eo possunt, quia si fuisset peccatum illud
 Angelorum, non autem hominum, debuisset in solos
 Angelos & mulieres illas desæuire pœna, non autem
 orbem vniuersum delere. Filij ergo illi Dei non fue-
 runt etiam filij principum, & magistratuum vt censet
 Eugubinus, meritòque improbant Lyranus, & Abulen.
 sed fuerunt posterij Seth qui contra parentis prohibi-
 tionem iustissimam assumptere sibi filias Caini, & cum
 illis corrupti ac perditii sunt: vocantur Filij Dei, quia
 cultores erant pietatis, & Deo consecrati. Nidoribus
 quod videntur delectari dæmones, non est indicium
 corporeæ substantiæ, sed superbiæ, ac malitiæ spiritui
 nequissimorù, quibus placent sacrificia, & oblationes
 illæ factæ ab hominibus perditis qui se ipsis deuouet.

Solutio
secundæ
Filij Dei
concupis-
centes fi-
lias homi-
num.

Ad tertiam Resp. illud esse ac vocari prorsus debere spirituale, quod nec est quantitas, neque quantitate exigit cum qua existat, vt fusè probauimus aliàs. Fa-
 teor creationem lucis, aut alterius accidentis extra
 subiectum non dicere ordinem immediatum ad quan-
 titatem; satis enim est, quod ordinem dicat mediatum,
 id est quod non possit existere sine illo accidente,
 quod naturaliter esse non possit sine quantitate.

Solucio
ria.

216 Disp. I. De Angelis. Quæst. I. Sect. II.

§. II.

Substantia Angelica simplicitas. S. Thom. Articul. 2.

Multiplex
compositio
in Angelis.

Certum est primò, esse sine dubio in Angelis multiplicem compositionem, quâ excludatur summa simplicitas solius Dei propria, cuius summum hoc elogium est quod sit ipsum vnum, & ut ait Dionysius, *vnitas continens omnes numeros*, vel ut ait Nazianzenus, *vnus omnia*. In Angelis est compositio metaphysica, ex genere & differentia, quia nobiscum habent multa communia, multa etiam propria: est compositio ex essentia, & existentia, quia non est Angelus suum esse; compositio præterea ex gradibus variis metaphysicis, & demùm compositio ex natura & supposito, cum enim assumi potuerit Angelica natura, sicut assumpta est humana, eodem modo distinguitur in Angelis personalitas, sicut distinguitur in hominibus.

Composi-
tiones
physicæ in
Angelis.

Certum est secundò, varias quoque in Angelis esse compositiones physicas & reales: Prima est compositio ex subiecto, & accidentibus: non enim sunt actus puri; cum habeant species impressas habitus, & species expressas, actusque vitales à substantia sua distinctos, non enim Angelus sua est operatio, ut postea probabitur: Altera compositio est, ex modis, & modificatis, sine qua neque in spiritibus, neque in corporibus multa explicari vilo modo possunt, ut probabam alibi. Si quando autem visus est dicere S. Dionysius nulla esse in Angelis accidentia explicat bene S. Thom. de materialibus quæ in Angelo nulla sunt, vel certè potest intelligi de accidentibus facillè mobilibus; species enim habet saltem plures ingenitas & habitus qui non corrumpuntur, quos vocat *beoedèc* & *æter*; habitus deiformes, ut eleganter explicant S. Maximus & Pachymeres in Scolis ad librum cælestis Hierarchiæ. His positis

Status cõ-
trouersæ.

Controuersia solum esse potest de compositione physica ex partibus essentialibus materia, & forma, & ex partibus integralibus, de posteriori disputabit sectio sequens, nunc quæro, vtrum Angelus ita sit simplex substantia, ut non constet ex materia spiritali, & forma item spiritali, & vtrum sit possibilis aliqua substantia purè spiritalis, & tamè composita.

Duplex
dubitatio.

Ratio enim dubitandi primò est, quia si est possibile aliquod ens spirituale compositum ex materia, & forma spiritalibus, nulla ratio probat quod Angelus non constet ex huiusmodi materia, & forma: sed ens spirituale compositum ex materia, & forma spiritalibus non ostenditur implicare, ergo Angelus constet ex materia, & forma. Minor probatur ex eo quod nulla potest afferri implicancia quæ hoc probet.

Secundò, si ostenderetur implicare materia spiritalis, vel hoc ostenderetur ex eo quod implicat ens spirituale incompletum, & hoc non, quia anima spiritalis est, & tamen est incompleta: vel quia implicat ens spirituale quod sit pura potentia, & hoc non, quia nullà ratione potest euinci, quod ratio actus sit essentialis enti spiritali, ergo dari potest talis materia. Confirm. quia dari potest forma spiritalis, ergo dari etiam potest materia spiritalis; vix enim afferretur disparitas.

Affertio
bipartita.

Dico secundo, nulla de facto est in Angelis, neque potest esse compositio ex materia, & forma spiritali: aded ut implicet substantia purè spiritalis composita ex materia, & forma spiritali. Ita communiter Theologi omnes docent cum S. Thoma hic, quoad primam partem assertionis: quoad secundam refragantur non pauci.

Prima pars
de facto.

Primò ergo, quod de facto compositio illa non sit in Angelis asserunt S. Dionysius, Nazianzenus, & alij Patres à quibus vocantur Angeli substantiæ simplices, quod

esset falsum, si essent compositi. Deinde nullo argumento colligere possumus in Angelis talem compositionem, quæ necessaria non est ad vllam eorum operationem, cum enim illa sit purè spiritalis, elici potest ab intellectu omnino simplici.

Secunda pars quæ negat esse possibilem compositionem hanc substantiæ purè spiritalis ex aliqua materia & forma, satis communis est apud interpretes S. Thomæ art. 2. ut refert Suar. disp. 13. metaph. sect. 14. & lib. 1. de Angelis c. 7. sed eam tamen materiam spiritualem possibilem esse affirmant Bonauent. in 2. d. 3. a. 1. q. 1. Richard. ibidem eadem dist. 2. 1. q. 2. Aureol. ibidem. Plorin. lib. 4. Enneade 2. c. 5. quibus acceperunt ex recentioribus Vasq. in notis art. 2. quæst. 50. Arriaga, Martinon. fauent autem illis sine dubio August. lib. 1. de mirabilib. scripturæ c. 1. & 12. & f. 12. Confess. c. 20. & 21. Damasc. lib. 2. fidei c. 3. Boethius l. de vnitæte, & vno, & l. 1. de Trinit. c. 3. qui videntur illam Angelis tribuere.

Sed probatur tamen quod asserui primò, quia ex spiritualitate, ut probabo postea, rectè colligitur intellectualitas, hæc materia cum esset pura potentia, non esset intellectiua, ergo pura potentia non potest esse spiritalis. Deinde illa materia est impossibilis quæ nullo modo potest esse utilis formæ cum qua facit vnum: ista nullo modo potest esse utilis formæ incorporeæ; non enim esse potest utilis ad esse, quia sicut potest anima rationalis esse sine corpore, sic ista etiam forma esse potest sine hac materia. Neque utilis esse potest ad motum, & operationem, quæ cum sit purè spiritalis non potest pendere nisi à principio suo effectiuo quod esset forma. Præterea sequeretur substantiā hanc spiritualem esse corruptibilem, & mortalem, quia esset separabilis forma hæc à subiecto, quomodo enim colligitur eius vnio esse indissolubilis, sic igitur ex spiritualitate non rectè inferetur immortalitas. Denique si huiusmodi ens est possibile, ergo illud vel datur de facto, vel fatendum est mundum esse imperfectum.

Ad primam & secundam satis videtur ostensam quod implicet ens spirituale compositum, quia implicat ut ens spirituale sit pura potentia & subiectum primum.

§. III.

Substantia Angelica indiuisibilitas.

Hoc est alterum compositionis genus, in quo difficultas est, vtrum Angelica illa substantia purè spiritalis, partes habeat integrales, quales habent substantiæ omnes corporeæ; an verò nullis omnino partibus constet, & si locum occupat, tota occupet totum locum, & tota singulas partes loci.

Ratio verò dubit. est, 1. quia si est possibilis substantia materialis diuisibilis in partes integrales nulla est ratio cur dicatur Angelica substantia esse indiuisibilis, sed esse possibilem substantiam spiritualem diuisibilem manifestè probari videtur ex eo quod potest dari accidens spirituale diuisibile, ut euincam postea ex motu locali Angelorū, & ex modo extensionis eorum ad locum, & demùm ex vnione animæ humane ad corpus, ergo Angelica substantia est diuisibilis.

Secundò, non est etiam efficax altera probatio quæ peri solet ex eo quod omne intellectiuum debet esse indiuisibile, quia si cognoscat obiectum indiuisibile debet esse indiuisibile, sicut intellectiuum debet esse immateriale, si cognoscat obiectum immateriale; sed hoc argumentum probat intellectiuum esse debere actum purum & infinitum, si cognoscat actum purum & infinitum, vix enim afferretur disparitas.

Tertiò, illud etiam argumentum non vrgit quod cognitio diuisibilis non potest cognoscere obiectum indiuisibile, quia singulæ partes deberent totum representare.

Secunda
pars de
possibili.

Quarta
plex dubi-
tatio.

S. IV.

Incorruptibilis substantia Angelica.

præsentare; non enim video quomodo obiectum indiuisibile non possit indiuisibiliter repræsentare cognitionem diuisibilem, sicut communior sententia docet, quod qualibet pars speciei impressa repræsentat totum obiectum indiuisibiliter.

Quartò, non probatur etiam ex immortalitate, quia materia incorruptibilis est & tamen est diuisibilis, ergo ista substantia spiritualis esse potest immortalis, & tamen diuisibilis in partes.

Dico tertio, Angelicam substantiam esse prorsus indiuisibilem in partes integrales: imò etiam videri probabilius quod implicet substantia spiritualis diuisibilis, quamuis id non sit omnino certum.

Prima pars de indiuisibilitate Angeli certa est apud omnes, probaturque primò à pari, nam si anima rationalis est indiuisibilis, multò magis indiuisibilis est Angelus, sed anima rationalis pro certo est indiuisibilis, si enim esset diuisibilis sequeretur quod esset mortalis, nam quando absconditur homini manus periret anima, quæ informabat manum, alioqui esset beata, vel damnata, quæro enim ubinam gentium illa tunc sit quando separata est à corpore, unde fieret ut aliquis saluatus simul esset & damnatus. Deinde probatur ex nobilitate substantiæ Angelicæ, quia quod est indiuisibile formaliter, diuisibile autem virtualiter, multò est perfectius, quàm ens formaliter diuisibile.

Secunda pars quod sit impossibilis huiusmodi substantia spiritualis diuisibilis, satis est communis inter Doctores, sed probabilis tamen duntaxat est, & valde incerta, quia difficile est probare quod hoc sit impossibile, ut satis euincit tota ratio dubitandi, ubi afferuntur præcipuæ probationes quæ certè non sunt parum efficaces præsertim propter paritatem substantiæ spiritualis, & accidentium spiritualium.

Ratio tamen adhuc afferri potest, quia si est possibilis substantia spiritualis diuisibilis, nullà ratione ostendi potest quod Angelus sit substantia indiuisibilis, quod idem de anima rationali diceretur. Deinde substantia illa esset aliquo modo mortalis & corruptibilis, saltem in ratione totius compositi; materia enim etiam destruitur, quoties diuiditur in partes, non enim amplius est totum illud quod erat prius, ergo substantia illa quodammodo moreretur. Neque hinc sequitur materiam primam esse corruptibilem nam corrumpi propriè significat separari formam à subiecto, primum autem subiectum non eo modo corrumpitur, tametsi verè desinat esse ut est aliquid totum.

Ad primam ergo Resp. discrimen posse afferri substantiæ spiritualis, & accidentis, quia substantia longè nobilior est accidente, & est incorruptibilis, accidens autem spirituale definit esse tùm secundum se totum, tùm secundum suas partes.

Ad secundam Resp. vix probari debere intellectum esse indiuisibilem quia cognoscit Deum indiuisibilem, alioqui esset actus purus quia cognoscit actum purum, quomodo autem valeat hæc probatio intellectus est immaterialis quia cognoscit res immateriales fuscè dixi in animastica, & prima parte agens de visione Dei.

Ad tertiam Resp. falsam mihi omnino videri sententiam, quæ docet nullam esse partem speciei visibilis quæ non repræsentet indiuisibiliter totum obiectum: atque adeò non videri possibile quod intellectus diuisibilis repræsentet indiuisibile; nulla enim esset pars quæ infinites non repræsentaret indiuisibile.

Ad quartam de immortalitate satis dictum videtur, quomodo verum esset in aliquo bono sensu dicere, quod substantia illa esset mortalis, & destructioni obnoxia.

Corruptibile propriè loquendo significat id, cuius forma separabilis est à materia, quo pacto constat corruptibiles non esse Angelos, qui sunt substantiæ simplices: dicitur autem alio modo corruptibile id quod quocunque modo potest finire esse, quariturque in hoc sensu, vtrum corruptibiles sint Angeli naturaliter, non tantum respectu agentis cuiuslibet creati, à quo certum est illos nò posse destrui, sed respectu etiam ipsius Dei, ubi potest esse sermo vel de potentia absoluta, quæ certè difficultas est levis, vel de potentia ordinaria, vtrum scilicet Deus Angelum non possit destruere, nisi agendo contra eius naturalem exigentiam, eo quod ille secundum suam naturam exigit in æternum conseruari. Et de hoc genere incorruptibilitatis celebris est difficultas, vtrum Angeli naturaliter ita sint incorruptibiles ut exigant semper esse, neque possint destrui à Deo, nisi operante supernaturaliter, & contra id quod Angeli exigunt naturaliter: an verò sint tantum incorruptibiles respectu agentis cuiuscunq; creati, à Deo autem possint destrui etiam agente naturaliter, eo quod Angeli non habeant talem exigentiā naturalem, sed idèò tantum in æternū durent, quia Deus vult illos ita conseruare.

Ratio dubit. primò est, quia videntur esse possibiles aliqua creatura quæ ubi semel à Deo productæ sunt nunquam possint destrui, quia sicut est possibilis vbiatio indiuisibilis, quæ postulet essentialiter occupare, v.g. 10. palmos, sic est possibilis duratio, quæ postulet coextendi 10. annis, aut etiā toti æternitati: imò est possibilis visio beata quæ cognoscat se in æternum duraturam, illam certè visionem Deus non posset destruere; non est ergo certum, quod Angelus possit destrui per potentiam Dei absolutam.

Secundò, Angeli dicuntur in 6. Synodo, & à multis Patribus esse immortales per gratiam tantum, nò per naturam: sed hoc falsum esset si Angeli non solum respectu creaturarum, sed etiam respectu Dei essent immortales, ita ut connaturaliter exigerent æternam conseruationem, quod manifestè ostendo, si Angelus est immortalis per naturam, eodem modo exigit non mori, quo ignis exigit comburere, sed malè diceretur quod ignis non potest comburere, nisi per gratiam, ergo non poterit quoque dici Angelos esse immortales per gratiam, non per naturam.

Tertio Angelus ex natura sua est capax ut à Deo annihiletur, ergo ex sua natura mortalis est. Prob. cōsequentiā, ut aliqua res possibilis producat à Deo naturaliter, sufficit quod habeat connaturalem non repugnantiam ut producat à Deo, ergo ut Angelus à Deo naturaliter annihiletur, sufficit non repugnantia ad annihilationem. Confirm. quia prius est rem ex sua natura esse annihilabilem, quàm illam posse à Deo annihilari, sicut prius est rem ex sua natura esse possibilem, quàm illam posse à Deo produci. Adde quod annihilatio illa potius violenta esset Angelis, quàm supernaturalis.

Quartò, multa sunt entia quæ licet pendeant à solo Deo in conseruari, & non habeant contrarium, desinunt tamen postquam durauerunt aliquo tempore, cuiusmodi sunt species & ipse sonus, impetus impressus proiectis, & ex multorum sententia ipsi etiam habitus, ergo quamuis Angelus non conseruetur nisi à Deo, non exigit tamen æternam conseruationem, neque probatur illum debere in æternum durare, quia non habet subiectum, neque contrarium, & conseruatur à solo Deo.

Dico quartò, Angeli sine dubio destrui possunt per potentiam Dei absolutam: est autem probabilius illos ex sua natura esse incorruptibiles non quia Deus

Corruptile quid sit.

Sensus questionis

Prima dubitatio.

Secunda

Tertia.

Quarta.

Assertio.

E e non

Indiuisibilis Angelus.

Impossibilitas substantiæ spiritualis indiuisibilis.

Solutio difficultatum.

non vult illos annihilare, sed quia ex sua natura exi-
gunt in æternum conseruari neque possunt destrui à
Deo agente naturaliter, & secundum potentiam or-
dinariam. Ita docent post S. Thomam, Suar. Arrubal,
Valent. Molin. contra Bonauent. Richard. Ocham.
Gabriel. Vasq. Martinon.

Destrui
potest à
Deo An-
gelus.

Est natura-
liter im-
mortalis.

Primæ partis vt monui facilis ratio est, quia Deus
liberè Angelos conseruat, ergo subtrahendo concur-
sum potest illos annihilare.

Secundæ partis ratio primò est, quia in Concilio
Lateranensi sub Leone X. sess. 8. definitur animam rati-
onalem non solum verè per se ac essentialiter esse
formam corporis, sed immortalem etiam esse, quod
idem de Angelis verum esse aduersarij fatentur: vnde
argumentor si Angelus ex sua natura non exigeret
æternam conseruationem, sed idè tantum esset im-
mortalis quia nulla creatura potest illum destruere,
non posset dici simpliciter incorruptibilis, sicut non
dicitur improducibilis quia solus Deus potest illum
producere. Sed à concilio dicitur anima humana, atq;
adè Angelus esse incorruptibilis, ergo exigit ex sua
natura æternam conseruationem. Simile argumentum
fieri potest ex communi modo loquendi Patrum, nam
Theodoretus in Epirome diuinorum decretorum c.
de Angelis, dicit eos esse naturas ab interitu alienas.
Gregorius docet eos naturæ suæ vitam perdere non
valere: ergo si dicuntur immortales, non tantum mori-
turi non sunt, sed etiam mori nequeunt.

Secundò, non implicat creatura quæ ex sua natura
exigat conseruationem æternam primæ causæ, nam
exigentia illa non pugnat cum ratione creaturæ, ergo
si non repugnat huiusmodi creatura sine causa id ne-
gatur Angelis: est autem ostensum non implicare crea-
turam quæ vel exigit, vel possit esse in æternum.

Tertiò, denique si Angeli naturaliter destrui
possunt à Deo, id ex eo maximè probatur, quia
si destrui possunt à Deo, ergo naturalem habent ca-
pacitatem vt destruantur, si autem naturalem hanc
capacitatem habent, ergo naturaliter possunt de-
strui, sed hoc argumentum nullo modo valet, alio-
qui similiter materia posset naturaliter separari ab
omni forma; si enim potest à Deo separari, habet
capacitatem naturalem vt separetur: idem dicam de
accidentibus, quæ separari possunt à subiectis, ergo
quamuis Angelus habeat capacitatem intrinsecam,
& naturalem vt possit destrui à Deo agente superna-
turaliter, non sequitur tamen quod naturaliter pos-
sit destrui.

Solutio
primæ du-
bitationis.

Ad primam Resp. esse omnino impossibile crea-
turam, quæ vbi producta est à Deo deinceps non
possit destrui; Deus enim omnia sicut creat liberè sic
conseruat liberè, licebit enim etiam fingere, quod est
possibilis aliqua creatura, quam Deus non potest non
creare, vbicatio illa indiuisibilis fortasse implicat, &
si non implicat, nullum ex ea sequitur absurdum, quod
sequitur ex æterna conseruatione necessaria, visionem
illam quæ cognoscat se duraturam in æternum, dixi
olim esse impossibile, quia visio se ipsam videre
non potest.

Solutio
secundæ.

Ad secundam Respon. quod quando à Patribus, &
Concilijs dicitur Angelos esse incorruptibiles per gra-
tiam non per naturam, sensus est illos non esse à se ac
sine dependentia immortales, sed per donum creatio-
nis & conseruationis; in quo etiam sensu dici posset
ignem comburere per gratiam non per naturam, quia
non comburit, nisi dependenter à Deo, qui potest im-
pedire illius combustionem.

Solutio
tertiæ.

Ad tertiam Resp. distinguendo antecedens, Ange-
lus ex sua natura est capax vt annihiletur à Deo agen-
te naturaliter nego, agente supernaturaliter & contra
exigentiam Angeli, concedo. Sicut materia naturali-
ter habet non repugnantiam, vt spoliatur omni forma

à Deo agente supernaturaliter, non à Deo agente na-
turaliter. Ad probationem eadem recurrit distinctio,
vt aliqua res possibilis producat à Deo naturali-
ter, sufficit quod habeat connaturalem non repu-
gnantiam vt producat à Deo agente naturali-
ter, nego à Deo agente supernaturaliter, concedo
Idem dico ad confirmationem prius est rem ex sua
natura esse annihilabilem naturaliter nego, superna-
turaliter, vel miraculosè, concedo. Sicut suscitatio
mortui prius ex se possibilis est miraculosè, quam
possit à Deo fieri, neque tamen fieri à Deo potest na-
turaliter idem dici potest de alijs omnibus effectibus
supernaturalibus. Denique annihilatio illa & violenta
esset Angelo, & supernaturalis: quia supernaturale
significat, id quod est supra exigentiam vel propter
perfectionem, vel propter summam contrarie-
tatem.

Ad quartam Resp. esse aliquas entitates, quæ licet
conseruentur à solo Deo, & non habeant contrarium
non exigunt tamen semper conseruari, propterea quæ
desinunt post aliquod tempus Deo illas non amplius
conseruante: sed nego vllam esse substantiam quæ si
sit independens à subiecto, & careat contrario non
exigat semper conseruari: imò cum certum sit huius-
modi substantiam esse possibilem, non est dubium,
quin tales sint Angeli, & animæ, quia eos Concilia,
& Patres simpliciter vocant immortales, & incorru-
ptibiles, disparitas ergo est inter entitates accidenta-
les, quæ propter imperfectionem non exigunt sem-
per esse, quia cum sint aliquo modo violentæ sub-
iecto in quo sunt, illud non exigit eas semper
habere: substantiæ verò quæ subiectum non habent
exigunt semper esse quoties ab omni compositione
absolutæ sunt.

Colliges ex his quatuor substantiæ Angelicæ præ-
dicatis inseparabilibus quanta sit perfectio naturalis,
nobilitas & pulchritudo Angeli; est enim spiritualis
atq; adè expers omnis concretionis & sordium om-
niū quas inuehit materia; nullo eget corpore, à nul-
lo agente corporeo est alterabilis, subtrillissimus, agil-
limus, &c. Deinde simplex est sine potentia, & actu,
totus actus, & totus actu, est indiuisibilis, sine partium
impedimentis, & incorruptibilis, procul ab omni
morbo, ab omni morte, totus vita, totus intellectus,
totus mens, & lumen: nunquam cessans ab opere, &
nunquam defatigatus, aut exhaustus, nunquam senes-
cens, nunquam dormiens: totus in puncto, & spatijs
præsens, paruius, & magnus. Vide Suarem lib. 1. de
Angelis. Theophilum Raynandum quæst. 2. art. 3.
solum addo definitionem Angeli, hanc videri posse
optimam: est substantia completa, & finita, om-
nino spiritualis, & simplex, indiuisibilis, incorru-
ptibilis, intelligens, atque adè perfectissima, no-
bilissima, pulcherrima.

Solutio
quartæ.

Pulchritu-
do & no-
bilitas An-
geli.

SECTIO III.

De distinctione Angelorum.

Explicato conceptu quidditatiuo Angelorum, se-
quitur quomodo illi differant inter se, primò, spe-
cificè, secundò, numericè, tertiò, qualis sit eorum di-
stinctio in varias Hierarchias, & ordines, quæ tria
breuiter explicari possunt.

§. I.

An & quomodo inter Angelos sit distinctio specificæ.

Specificæ distinctio appellatur, quæ differunt aliqua
duo secundum aliquod prædicatum essentiale cõ-
mune pluribus solo numero differentibus: duas autem
circa